



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 96. Reconciliatio Ducissæ Sabaudiaë cum Ludovico Rege

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

ceretur; Nec Rex Burgundiæ hæres Sæcul. XV. A.C. 1476.
 proclamabatur, Margarita tamen Ande-
 gavensis senioris Renati Vidua, quæ olim
 in Anglia unacum Henrico VI. Marito
 suo capta fuerat, Regi cessit omnia jura,
 quæ in bona, & dominia Patris sui ha-
 bebat; pro iis tamen numeravit Rex E-
 duardo Angliæ Regi quinquaginta au-
 reorum millia, quæ pro redimenda præ-
 fata Margarita expendebantur.

§. XCVI.

*Reconciliatio Ducissæ Sabaudicæ cum
Ludovico Rege.*

Inter omnes foederatos nonnisi Neapo-
 lis Rex, & Sabaudicæ Ducissa adhuc-
 dum Burgundi partes tuebantur: ambo-
 rum tamen sollicitudo eo maxime spe-
 ctabat, ne proxime imminente Bur-
 gundiæ Ducis exitio & ipsi pari fato in-
 volverentur. Quare Ferdinandus ab au-
 la Burgundi Fridericum Filium suum,
 quem eo miserat, revocabat. Ducissa
 quoque Sabaudicæ cum spe freta esset,
 quod Ludovici XI. fratris sui opera nu-
 pticæ Filii sui Sabaudicæ Ducis cum Bur-
 gunda hærede rescinderentur, Granso-
 niensem Burgundiæ Ducis cladem edo-
 cta verebatur, ne Ducatum suum adeo
 non aliena Belgii accessione extende-
 ret, ut propriam etiam ditionem suam
 cum

Sæcul. XV. cum ingenti Filii sui dispendio amitteret,
A. C. 1476. hinc Nobilem quemdam meritorum gloria clarum nomine Montignyum ad Ludovicum XI. ablegat, dato negotio, ut illam sua opera in Galliarum Regis gratiam revocaret. Non equidem Ludovicus repulsam legato dedit, nihilominus suam sententiam edicere distulit, donec de novi exercitus, quem Burgundus conscripserat, fortuna atque progressibus edoceretur; huc quoque Ducissæ expectatio tendebat.

§. XCVII.

Moratum a Burgundiæ Duce obsessum.

Interea Burgundiæ Dux copiosum collegit exercitum, quem ipse in aciem eduxit, ac Morato, quæ exigua est Helvetiæ urbs Bernæ admodum vicina, in Mense Junio admovit & die nona ejusdem Mensis urbem undique cinxit, eamque per tredecim omnino dies toto belli apparatu oppugnavit. Helvetii ad strenuam defensionem parati arma capessunt, suasque vires quater mille Equitibus longa militia exercitatissimis, quos eis Imperii; urbes in auxilium submiserant, augent. Ast cum hæ copiæ Belli-duce carerent, Ludovicus XI. Helvetiis auctor fuit, ut Renatum Lotharingæ Ducem